



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1860

XXXIX. Abt und Convent zu Marienwalde leihen Nicolaus von Wildenau Hufen und Kossäthen zu Lamprechtsdorf für seinen Hof Wildenau, am 24. Oktober 1362.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55515)

fideiussores domini Johannis Abbatis et sui conuentus sepius memorati et eundem dominum Johannem Abbatem cum conuentu suo de Marienwalde a promissione seu solutione ac quietatione trecentarum marcarum et quinquaginta marcarum dimisit liberos penitus et solutos. In cuius testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Actum et datum in Woldenbergk, Anno domini M°. CCC°. LXII°. Feria quarta infra octauas pasche, presentibus et testibus Nicolao Oine, Petro Lentzen, Conrado doberpol, Johanne Hugert, Joanne Stubbow, Conrado Hauelandt et Nicolao Zachou et aliis quam pluribus fidedignis.

Aus dem Marienwalder Copialbuche. Fol. 21.

XXXIX. Abt und Convent zu Marienwalde leihen Nicolaus von Wildenau Hufen und Rossfärthen zu Lamprechtsdorf für seinen Hof Wildenau, am 24. October 1362.

In nomine domini Amen. Ad rei geste memoriam sempiternam vniuersis Christi fidelibus, ad quorum notitiam presens scriptum peruenerit, Nos frater Johannes, abbas in Marienwalde, totusque conuentus ibidem Recognoscimus publice presentibus protestando, Quod contulimus presentibus et conferimus discreto viro et honesto Nicolao dicto Wildenaw, nostro fideli omagiali, et suis veris et legitimis heredibus Quinque mansos cum tertio dimidio cossato sitos in metis ville Lamprechtsdorff cum omni iure in campis, pratis, pascuis, fructibus, vtilitatibus, sicut alii mansi ibidem situati dinoscuntur habere, libere possidendos. Etiam fauimus eidem, vt currum suum mittat pro tempore et pro sua necessitate ad nostram mericam pro lignis siccis jacentibus colligendis. Etiam sibi dabimus Agra ad sua edificia construenda, si pro eis rogauerit benigne et obnix. Cum hoc habebit minationem ouium, quamdiu ipse predictos quinque mansos possidebit. Si autem contigerit vt prenarratus Nicolaus venderet ac permutaret prefatos quinque mansos, Tunc pretacta minatio ouium nulla erit sed mortua, Et emptori et successori cedere debet aut conferri modo nullo. Quos quidam quinque mansos sepe dicto Nicolao contulimus ratione permutationis, recompensationis et iusti tituli emptionis dimidietatis curie wyldenau site infra terminos nostre merice et ville Koltzich cum omnibus pertinentiis et possessionibus et omni iure in campis, syluis, nemoribus, pratis, pascuis, stagnis, metis, fructibus, vtilitatibus, vsofructibus, sicut memoratus Nicolaus et parentes sui pretactam curiam actenus possiderunt. Preterea quicquid sepedictus Nicolaus in villa Koltzich habuit in possessione et iure aliquali in stagnis, cossatis et tabernis et quicquid successionem hereditatis paterne succedere sibi poterat, nobis totaliter resignauit. In cuius rei testimonium sigilla scilicet nostrum et nostri conuentus presentibus sunt appensa, Presentibus et testibus discretis et honorabilibus viris Domino Nicolao, plebano in Plawe, Ludouico Haseloue, Ludolpho et Hennigo dictis de Mellentin, Bruningo de Zegeuelde, Johan Valwe, Petro Salentin et Nicolao, prefecto in Closterfelde, et aliis quam pluribus fidedignis. Actum et datum in Marienwalde, Anno domini M°. CCC°. LXII, Feria secunda ante festum Simonis et Jude Apostolorum beatorum.

Aus dem Marienwalder Copialbuche. Fol. 23.